

Sonat autem *Genesis* primam fabricam. Nec est intelligenda sola διακόσμησις, exornatio & expolitio rerum: sed vt Physici loquuntur, ἀφ' οὐθεν ἐκ τῆ μηδ' οὐλος εἰς τὸ εἶναι, hoc est, productio ex nihilo, vt non tam à nascendo, quàm ex nihilo producendo denominetur.

Genesis itaq; duplex est. 1. Alia, ἐκ τῆ μηδ' οὐλος, qualis est hæc rerum conditio. 2. Alia ἐκ τῆ οὐλος, hoc est, ex præiacente materia, quæ admodum ex vnius corruptione alterius fit generatio. Sic loquitur Varro de generatione apum, citans veterem versiculum:

Ἰπποὶ μὲν σφηκῶν γένεσις μοχλοῖ ἢ μελισσῶν.

Argumentum in caput I.

Describitur primo capite fabrica mundi, quam Dominus sapientissimè sex dierum spacio condidit, & in tanto teatro hominem in principem & dominū omnium creaturarum collocavit.

Partes pro numero dierum sunt sex; totidem enim absoluitur hoc opus.

Partes capituli huius sunt sex.

Ac *prima* die rudis formatur materia futuri operis, & ex hac mox producitur opus primi diei: nomina operis sunt, Lux, Vespera, Mane.

Secunda die firmamentum conditur, quo distinguuntur aquæ.

Tertia terra ex aquis producitur, vestitur etiam plantis, & à terra dirimuntur Maria,

Quarta conduntur sydera, maiora scilicet,

B